



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Lucius Rex. M. 3. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

3. Dec. VITÆ SANCTORUM. 757.  
confugere didicerimus? Ex Epist. S. Franc.  
Xaverii ad socios Goanos.

S. LUCIUS REX M. 3. Decembris.

I Gnosce iterum Anglia, quantum, heu!  
quantum mutata ab illâ es, cum præ-  
cones veræ fidei aliena regna Reges ha-  
buerunt tuos! Sed age in memoriam jux-  
tâ mecum revoca avita decora. L u c i u s  
ille tuus (è stirpe regiâ germen) puer  
jam Catholica fidei, & verò hæc illi et-  
jam arrisit. Nimirum quin hanc ample-  
cteretur, unum illud moram injiciebat,  
quod nulli ferè tunc nisi sanguine suo  
purpurati eam ambirent. Ubi verò pri-  
mum transire ad Christianorum partes  
etiam palmatas Romæ togas inaudit,  
quàm mox statuit etiam coronam suam  
Christo submittere. Igitur sanæ fidei Do-  
ctores Româ ab Eleutherio Pont. acci-  
vit: mox è discipulo ipse etiam Doctor,  
& calcato regni fastu è rege Apostolus  
Augustam Vindeliciam venit. Constitit  
hic operæ suæ fructus, ad fidem præ-  
ter alios nobilissimâ familiâ adductâ.  
Sed & merces sua L u c i o constitit, ut-  
pote qui verbera & lapidationem in lu-  
cro posuit, præcepisque actus in puteum  
maximam scilicet inde voluptatem hau-  
sit. Nec verò hanc solam Augustam Co-  
loniam, etiam alteram Reginoburgam  
adiit, neque prius quàm Christum per-

B b b 3 om.



758 VITÆ SANCTORUM. 3. Dec.  
omnem Vindeliciam Noricumque cir-  
cumferret, mortē beatā Curiaē que-  
vit. Gratias igitur Anglia tibi habemus  
extera nationes, & si modò vis, vicem  
rependimus, nostrosque tibi Doctores  
ecce submittimus. Ex Brev. Cur. O.  
Bav. S.

*Pretiosior mens ejus est, quæ aurum de-  
spicit, quàm quæ aurum requirit: majores  
planè sunt divitiæ, non habere aurum, sed  
aurum habentibus eminere. Qui enim pro-  
priis abundat bonis, sæculi thesauros non  
requirit. S. Maxim. de SS. Thaurin.*

S. THEODULUS C. 3. Decembris.

**A**scenderat in id fastigium honorum  
THEODULUS, ut aula illum Theo-  
dosiana Præfectum salutaret. Verum  
his etiam altiora virtus ambiit. Ec-  
nim quòd aulae thechnas & insidias pro-  
be perspectas haberet, ludos facere  
hanc vicissim voluit. Quare assem om-  
nem (Philippeorum millia quinque su-  
pra quinquaginta) liberali spensione in-  
miseros abjecit, ipse columnam Edesse  
ascendit, inde aulae fastus, minas, peri-  
cula, omnia despecturus. Ita mundo &  
fese altior respuit jam cum homunculis  
prandere, coepitque cum Calitibus solā  
ambrosiā, hoc est, Angelorum pane, dein-  
ceps vesci. Post annos sic tractos xxx.  
cupido subiit scire eccuinam ex Dei  
a ni-